



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

1. Respondetur ad Decretum Cœlestini III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

§. IV.

Respondetur ad alias Maimburgi oppositiones à capite 13.

SUMMARIA.

1. Respondetur ad Decretum Cælestini III.
2. Et ad Definitionem Innocentij III.
3. Et ad errores Johannis XXII.
4. Et denique ad sermonem Pauli IV. in consistorio habitum.

I.

Pponit 6. Cælestinus III. Papa definivit in Decretali: *laudabilem. de Conversione infidelium.* Solvi fidelium matrimonia, quoad vinculum, altero Conjugum hæresin amplectente, ac innocenti liberum esse novas nuptias inire. Contrarium Innocentius III. in capitulo quarto de Divorcijs definivit.

Resp. Nihil ad rem facit hoc argumentum, & ne quidem quæstionem tangit. Cælestinus nihil definierat, sed mentem tantum suam ut privatus Doctor exposuerat, communem illius temporis opinionem secutus; quod apertè Innocentius illis verbis in-
finuat: *Et si quidem Prædecessor noster aliter sensisse videatur.* Aliud est sentire, aliud definire: præsertim cum Cælestinus non ex proposito, sed incidenter, aliudque agens ad eum casum respondeat. Nimis verò in sacris Canonibus peregrinus est, qui nescit non omnia, quæ Decretalibus continentur, ad fidem pertinere; aliud enim

enim est responsum juris, aliud Dogma ac Decretum fidei : hoc totam Ecclesiam respicit, & quidem cum imperio ad omnes fideles directo, quo obligantur sub pœna hæreseos & anathematis illud recipere, nec aliter credere : id nunquam Cœlestinus fecit, imò neque Innocentius, qui Cœlestinum corrigit : *Credimus*, inquit, *aliter respondendum*. Sunt hæc verba definientis, & non potius disputantis ? sed parcendum Maimburgo solius historiæ gnaro, Theologiæ verò, Canonumque rudi, quod ex omnibus ferè illius operibus elucet; nihil enim infelicius, cum Theologum agit, Jurisveperitum, & alieno calceo incedit, cadenti, quam eunti similior. Pudet me immorari tam absurdis.

II. *Opponit*. 7. Refert Cæsarius, Innocentium III. jam Pontificem solemnem Definitionem ex consilio sacri Cardinalium Senatûs, ad eoque ex Cathedra edidisse, quæ omninò fidei adversatur, & ab ipso postea Innocentio improbata est. Res sic habuit : Monachus quidam se Sacerdotem finxerat, ac quotidie sacris operabatur. Tactus penitentiam sacrilegium in Confessione Abbati exponit. Is jubet deinceps sacrificio abstinere. At Monachus pergere, veritus, ne ab alijs notaretur. Abbas animi incertus, cum & timeret arcana confessionis retegere, nec sacrilegium ferre posset quotidie oculis expositum, rem ad Capitulum generale defert suppresso nomine. Capitulum ad Pontificem Romanum, hic ad Cardinalium Senatum, ex cujus consilio : *scripsit*, inquit, *Cæsarius* (a) *sequenti anno Capitulo, quod fuerat à se determinatum, & à Cardinalibus approbatum in hæc verba : Ego dico in tali articulo esse prodendum, quia talis Confessio non est Confessio, sed Blasphemia, nec debet Confessor Blasphemiam tantam ac insaniam celare. At verò in Concilio Lateranensi, cui Innocentius præfuit, contrarium omnino definitur, ubi : Caveat Sacerdos, ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodatur aliquatenus peccatorem : & qui peccatum in penitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam penitentiam in arctum Monasterium detrudendum. En Innocentium contraria decernentem ! semel in Senatu Cardinalium Ecclesiam Romanam repræsentante, semel in Concilio Generali : hic verum, illic falsum decernit ; ergo Pontifex in Concilio Generali erroris expers est : extra falli potest.*

Resp.

(a) Cæsar. lib. 3. cap. 22.